



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. II. De virtutibus moralibus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)



& ad ipsam reduci potest conscientia, quæ ex vi nominis dicit applicationem scientiæ vel cognitionis ad aliquid, unde propriè neque designat habitum, neque potentiam, sed actum ipsius syn-deresis.

4. **Habitus sapientiæ** in duas etiam species distribuitur, nimirum in divinam, quæ est Theologia, cuius objectum est ipsa causa altissima, scilicet Deus, ut cognoscibilis per revelationem mediatam; & in humanam, quæ est Metaphysica, quæ obtinuit etiam nomen sapientiæ, quia versatur circa prima rerum prædicata, ens, verum, bonum, &c. Deumque ut lumine naturali cognoscibilem contemplatur.
5. **Scientia** verò in tria præcipua genera dividitur, nimirum in scientiam abstractam à materia intelligibili; sub qua Metaphysica & Dialectica continentur: in scientiâ abstractam à materia sensibili; sub qua sunt Arithmetica (cui subalternatur Musica) & Geometria (cui subalternatur Astrologia) Cosmographia, Geographia, Topographia, Hydrographia, Optica, & Machinativa: & demum in scientiam abstractam à materia singulari; sub qua continetur solum Physica, cui subalternatur Medicina.
6. **Similiter ars** dividitur in servilem seu mechanicam; & liberalem; numeranturque sub unaquaque septem species, quæ hoc distinctio designantur:

*Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.  
Rus, nemus, arma, rates, vulnere, lana, siber.*

Primus versus complectitur septem liberales, nam *lingua* designat Grammaticam, *tropus* Rhetoricam, *ratio* Dialecticam, *numerus* Arithmeticam, *tonus* Musicam (sub qua videtur contineri Poeticam, cum omnibus suis speciebus, quamvis possit etiam reduci ad Rhetoricam) *angulus* Geometriam, & *astra* Astrologiam.

Secundus versus continet res serviles: *Rus* enim designat agriculturam, *nemus* artem venatoriam & piscatoriam, *arma* militarem, *rates* nauticam, *vulnere* chirurgicam, *barbitonforiam*, & *pharmacopoleam*, *lana* textoriam, *sartoriam*, & similes, *siber* fabrilem, quæ comprehendit argentariam, deauratricem, ferrariam, carpentariam, sculpticam & huiusmodi.

De prudentia, & partibus eius, variisque ejus speciebus, in Tractatu de quatuor virtutibus Cardinalibus differemus.

## ARTICULUS II.

### De virtutibus moralibus.

7. **PRÆTER** virtutes intellectuales, quæ resident in intellectu, dantur alix morales, quæ subiectantur in voluntate, & in appetitu sensitivo, & dividi solent in virtutes operationum, & passionum, seu in eas quæ circa operationes, & circa passiones versantur: ut hinc appareat necessitatem omnium virtutum purè moralium non esse ex eodem fonte, sed eatum aliquas necessarias esse propter operationes ipsas secundum se, etiam si nulla passio obliheret, cujusmodi est iustitia, & annexa ei virtutes secundariæ; quasdam verò, nempe temperantiam, &

fortitudinem, eisque subiectas virtutes, solum esse necessarias propter vincendas passiones contrarias, aut leniendam difficultatem ex illarum consortio vel immoderantia provenientem. Hæc duo membra sub aliis vocibus interduum proponuntur: nam virtutes quæ circa passiones occupantur, dicuntur virtutes ad se; nimirum quia domitis passionibus, homo in seipso optimè componitur; reddendo autem cuique suum (quod fit cum operationes ex virtute iustitiæ exercentur) benè erga alios afficitur.

Dividuntur etiam à Platonis virtutes morales in politicas, purgativas, purgati animi, & exemplares: cuius divisionis meminit S. Thomas hic quasi 61, art. 5. Politica illa sunt, quibus homo benè se habet in rebus humanis gerendis. Purgativa, quæ animum purgant & ordinant ad contemplationem divinorum. Purgati animi, quæ animum totaliter purgant à terrenarum labe cupiditatum, ita ut ex abundantia contemplationis passiones non amplius sentiantur, quod est tantum Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectorum. Demum eadem virtutes exemplares dicuntur, prout inveniuntur in Deo, in quo est exemplar, & idea omnium virtutum quæ in nobis sunt, per imitationem enim divinæ iustitiæ sumus iusti, & per imitationem perfectionis divinæ, perfecti, juxta illud Matth. 5. *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

Hanc divisionem elegantè explicat Macrobius lib. 1. super somnium Scipionis cap. 8. ubi sic ait: *Exemplares virtutes illæ sunt, quæ in ipsa divina mente consistunt, à quarum exemplo reliquæ omnes per quodam defluunt. Nam si rerum aliarum, nullis magis partitum ideas esse in mente divina credendum est. Illic prudentia est mens ipsa divina: Temperantia quod in se perpetuâ intentione conversi est: Fortitudo, quod semper idem est, nec aliquando mutatur: Iustitia, quod perenni lege à sempiterna sui operis continuatione non flectitur.*

De politicis, per quas boni viri Reipublicæ consulunt, ait: quod politica prudentia est ad rationis normam quæ cogitat & agit universa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humanisque actibus (tanquam diis arbitris) providere: fortitudinis est, animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter vel adversa, vel prospera; temperantia, nihil appetere prætermodum, in nullo legem moderationis excedere, sub jugum rationis cupiditatem domare: iustitia, servare unicuique quod suum est. Et mox: *is virtutibus vir bonus primum sui atque inde Reipublicæ Reitor efficitur, iuste ac providè gubernans humanam, divina non deserens.*

De purgatoriis, quas Philosophantium virtutes vocat, hæc scribit: *Prudentia est mundum istum, & omnia quæ mundo insunt, divinorum contemplatione despicere, omnemque anime cogitationem in sola divina dirigere: temperantia, omnia relinquere, in quantum natura patitur quæ corporis usus requirit; fortitudinis, non cedere animam, à corpore quodammodo, ductu Philosophiæ recedentem, nec altitudinem perfectæ ad superna ascensionis horrere; iustitiæ, ad anam sibi huius præpositi consentire viam, uniuscuique virtutis obsequium.*

Demum de jam purgati ac detersi animi virtutibus inquit, quod prudentia est divina sola nosse, & hæc



*hæc tanquam nihil sit aliud, intueri; temperantia, A  
revertens cupiditates non reprimere, sed penitus obli-  
visci; fortitudinis, passiones ignorare, non vincere; 3  
iustitia, ita cum divina mente sociari, ut servet perpe-  
tuam cum ea se deus imitando.*

Disputant verò Theologi, an hæc divisio sit  
in diversas species virtutis, sed solum in diver-  
sos status ejusdem virtutis? Quæ difficultas non  
procedit de virtutibus exemplaribus: cum enim  
virtutes illæ non sint humana, sed divina, evi-  
dens est illas plusquam specie differre à nostris.  
Solum ergo quaeritur de aliis tribus, quæ politi-  
cæ, purgatoria, & purgati animi dicuntur, an es-  
sentialiter differant, & dividant genus virtutis,  
an solum accidentaliter, & penes diversos status  
ejusdem virtutis?

Respondeo breviter cum Cajetano & alijs  
Thomistis, has tres virtutes, politicas, purgato-  
rias, & purgati animi, non esse specie diversas,  
sed diversos status ejusdem virtutis, secundum  
diversas perfectiones; sicut pueritia, adolescen-  
tia, & virilitas, non faciunt diversos homines,  
sed diversos status ejusdem hominis. Idem enim  
habitus qui initio sunt virtutes politica, quia  
passiones ad medium rationis reducunt (per  
quod homo fit animal perfectè politicum, & re-  
ctè disponitur ut bene se habeat in rebus huma-  
nis gerendis) perficiunt intantum ut passionum  
immoderantiam tollant, & tandem usque adeo  
ascendunt, ut animum omnino purgent à terre-  
nis cupiditatibus, & passionum perturbationibus  
liberent.

Confirmatur: Omnes virtutes morales, quas  
habemus in via, post resurrectionem remane-  
bunt in patria eadem specie, & aliquando ead-  
dem numero: Sed in patria omnes sunt purgati  
animi, in via autem ut plurimum politica, vel  
ad summum purgatoria: Igitur hæc divisio est  
in diversos status accidentales virtutis. Nec ob-  
stat quod habeant diversos actus: illi enim non  
differunt essentialiter, sed tantum accidentaliter,  
quia semper producentur sub eadem ratio-  
ne formali unius & ejusdem virtutis.

Solet etiam dividi virtus moralis in heroi-  
cam & communem, seu vulgarem. Quæ distin-  
ctio sumpta est ex Aristotele 7. Ethicorum, ubi  
eam distinguit tria circa mores fugienda, vi-  
tium, incontinentiam, feritatem; vitio aut oppo-  
nunt virtutem, nempe vulgarem & communi-  
ter dictam, continentia vero incontinentiam;  
eandem feritati (quæ est status vitii deterrimus  
& immanis, quo homo in bestiam prope dege-  
nerat) virtutem heroicam, quæ sive ob excel-  
lentiam operis, sive ob circumstantiam interve-  
nientem quæ opus reddat difficillimum, erumpit  
in actum superantem communem modum  
operandi humanum.

Hæc etiam divisio non est essentialis, sed dun-  
taxat accidentalis: cum enim sit eadem virtutis  
communis & heroica ratio motiva, eadem item  
utriusque natura & subiectum, non est unde eas  
virtutes secernamus specie, sed sufficit si statu &  
perfectione accidentaria distinguantur; quo pa-  
to vir à puero perfectione essentiali non  
differt, sed statu intra eandem spe-  
ciem vario.

## DISPUTATIO IV.

## De virtutibus moralibus infusis.

Ad quaestionem 63. Divi Thomæ.

**H**UC usque egimus de virtutibus morali-  
bus acquisitis, quæ à ratione naturali de-  
pendent, & ex ejus influxu in nobis cau-  
santur: nunc disputandum est de alijs virtutibus  
moralibus, quæ ab aliquo alio altiori principio,  
scilicet Deo, causantur in nobis, & unà cum gra-  
tia habituali infunduntur; ideoque infusa ap-  
pellantur: de quibus disserit S. Thomas hic quæ-  
st. 63. art. 3. & 4.

## ARTICULUS PRIMUS.

An dentur in nobis virtutes morales per  
se infusa?

**Q**UOD dentur virtutes aliqua per se infusa,  
nempe Theologica, fides, spes, & charitas,  
certum & indubitatum est apud Theologos, ac  
definitum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7.  
his verbis: In ipsa iustificatione cum remissione pec-  
catorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Ie-  
sum Christum, cui infertur, fides, spes, & charita-  
tem. Unde solum difficultas est & controversia  
inter Theologos, an præter virtutes Theologi-  
cas, dentur etiam virtutes morales per se infusa  
cum gratia sanctificante, & cum ea indissolubi-  
liter connexa, temperantia scilicet, fortitudo,  
iustitia, & prudentia, quæ ab acquisitis specie &  
essentialiter distinguantur? Ad cujus eviden-  
tiam

Sciendum est, quod aliqua virtus potest esse  
infusa dupliciter, vel per se, vel per accidens.  
Est infusa per se, quando ex propria natura ha-  
bet ut à solo Deo effectivè producatur, quia est  
ordinis supernaturalis & divini. Et hoc modo  
charitas, & aliæ virtutes Theologica, dicuntur  
per se infusa, quia à natura nulla sunt indita  
principia, quibus acquirantur. Dicitur autem  
virtus infusa per accidens, quando ex propria  
natura habet ut possit per actus nostros acquiri,  
& tamen per accidens, ex aliqua dispensatione  
divina, alicui infunditur: & hoc pacto dicuntur  
infusa primo Parenti, & etiam Christo Domi-  
no, virtutes ex genere suo acquiribiles. Præsens  
ergo difficultas non procedit de virtutibus hoc  
secundo modo infusis, sed de virtutibus morali-  
bus infusis per se, seu quæ de se, & ex natura sua  
petunt à Deo infundi. Has enim negant Scotus,  
& ejus discipuli; admittunt verò cæteri Theo-  
logi, cum S. Thoma hic art. 3. Scoti sententiam,  
ut erroneam, vel temerariam, aut saltem ut om-  
nino improbabilem, post definitionem Cle-  
mentis V. in Concilio Viennensi, rejicientes.